



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XXXIV. S. Silvester.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

gratiam. In baptismo enim regeneramur ad vitam, post baptismum vero confirmamur ad pugnam. Et si continuo transituris sufficient regenerationis beneficia, viaturis tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos, confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos. Idem Papa in eadem epistola interdicit, ne quis ieiunium Dominicæ diei, & quintæ feriæ celebret, ut inter ieiunium Christianorum & gentilium, fidelium & infidelium vera, & non falsa discretio habeatur.

XXXIV.

S. SILVESTER.

A. CCCXIV.

SILVESTER, natione Romanus, ex patre Rusino, sedit annos 23. menses 10. dies 11. Fuit autem temporibus Constantini & Volusiani Consul. Hic diuersis temporibus ordinauit Episcopos 65. presbyteros 42. diaconos 26. Hic persecutionem fugiens diu in monte Sora ete latuit, sed postmodum cum gloria rediens Constantinum baptizauit, quem Christus in ipso baptismo à squalore lepræ mundauit. Hic potestate Deo liberè seruendi accepta, constitutum fecit de omni Ecclesia. Huius etiam temporibus eius præcepto facta Synodus in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt trecenti & decem & octo Catholicæ Episcopi, qui fidem integræ, catholicam, & immaculatam exposuerunt, & Arrium & Photinum & Sabellium, eorumque sequaces damnarunt.

Eodem quoque tempore etiam ipse iam dictus Papa præfati Constantini Augusti consilio canonica vocatione in urbem Romam ducentos septuaginta septem Episcopos congregauit, & iterum, tam Callistum, quam Arrium, & Photinum, & Sabellium damnauit: & constituit, ut nullus presbyter Arrianum resipisceret, nisi Episcopus eiusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate confirmaret. In qua etiam Synodo consensu & subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus clericò crimine inferre 2.9.7.c. nullus audeat, & ut presbyteri non aduersus Episcopum, nec diaconi aduersus presbyterum, nec aliqui minores gradus, aduersus quemlibet maiorem gradum habentem det aliquam accusationem, & non damnetur presul quilibet nisi 72. testibus, neq; Presul summus à quocquam iudicetur. Presbyter Cardinalis nisi in 44. testibus non

E 2

damna-

damnabitur. Diaconus Cardinalis non damnabitur nisi in 26. testibus. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi sicut scriptum est in sex testibus. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia; Testimonium autem laici aduersus clericum nemò suscipiat. Nemo clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia. Nullus clericus, vel diaconus, aut presbyter propter quamlibet causam intret in curiā, nec ibi ante iudicem suam causam dicere præsumat. Et si quis clericus accusans clericū in curiam introierit, anathema suscipiat.

*11. q. 1. c. testi-
monium.*

De conf. dist.

i. c. consulto.

**terreno*

**3.*

1. Tim. 3.

De conf. dist.

i. c. nullus.

Hic in prædicta Synodo constituit, ut nullus in serico panno, aut tincto sacrificium altaris celebrare præsumat, sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, * terræ scilicet lino procreato atque contexto. Et si quis in Ecclesia militare, aut proficere desiderat, debet esse prius ostiarius, deinde lector, & postea exorcista per tempora, quæ Episcopus constituerit: deinde acolythus annis 5. subdiaconus totidem & custos Martyrum. Et diaconus similiter annis 5. Presbyter annis * 2. probatus ex omni parte in tantum, ut etiam ab his, qui foris sunt testimonium bonum habeat, vnius videlicet vxoris vir, quæ tamen à sacerdote sit benedicta; & sic probatur, si fuerit dignus, & vota cleri ac populi occurrerint, canonicè Episcopus consecretur, quem quidem talis vitæ, & vt prædictum est, accedentem, nec clerus, nec populus postea perturbare debet. Hoc etiam in memorata constituit Synodo, ut nullus presbyter Missam celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui participes de cætero voluerit esse sacerdotij. Hic etiam constituit, ut presbyter baptizatum, & de aqua leuatum Chrismate liniret propter subitaneum transitum mortis. Hic constituit, ut diaconi dalmaticis in Ecclesia vterentur, & pallijs in læua. Hic pridie Kalend. Ianuarij Confessor Christi catholicus migravit ad Dominum.

XXXV.

A. CCC XXXVI

S. MARCVS.

M ARCVS, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit aënos 2. menses 8. dies 20. Fuit autem temporibus Constantini, & Ne- potiani, ac Secundi. Hic constituit, ut Episcopus Ostiæ, qui consecrat Episcopum Vrbis Romæ, pallio vteretur. Hic epistolam direxit Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum Episcopis, in qua multis modis paternè eos super querimonia afflictionis eorum conso- latur